

Sammelband og

Index locorum in hoc volumine
explicatum.

- nr. 29 Pj. LXXXIV.
4. Math. II. 17. 18.
38 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Eph. V. 29.
18 Col. I. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 Cor. XIII. 2.
36 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Jud. 9.
38 Apoc. XXII. 16.

33
32

DISCIPLINA ECCLESIAE
CIRCA ORATIONEM
DOMINICAM

PROGRAMMATE
FESTO PENTECOSTES

MDCCLI

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
TYPIS SCHNORRIANIS

DISCIPULI ECCLÆZIE
CIRCV ORATIONEIN
DOMINI
HISTO PENTECOSTIS
IN AGREDIMIA HILIA CATHOLICA
LITURGIA
SACRUM

PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
CIVIBVS SVIS

S. P. D.

Qui Deum agnoscunt datorem omnis boni, facile perspiciunt, conseruationem bonorum praesentium, collationem futurorum, depulsionem malorum, aut directionem in bonum finem, a Deo desiderandam, consequenter Deum inuocandum esse, id quod etiam ipsius legis naturalis praeceptum est. Hinc inuocatio Deorum etiam religionis gentilium pars erat, quoad ea quae Diis accepta referenda putabant. Distinguebant nempe inter ea quae homines a diis, et quae a se ipsis haberent. *Num quis, ait CICERO de Nat. deor. lib. 3 circa fin. quod bonus vir esset, gratias diis egit vñquam? At quod diues, quod honoratus, quod in-*

IV

columnis. *Iouemque optimum maximum ob eas res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod saluos, incolumes, opulentos, copiosos.* Post pauca interposita rem omnem in hunc nervum contrahit: *Iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam.* Ita iudicabant gentiles, corruptionem naturae nostrae non agnoscentes, et viribus liberi arbitrii immane quantum tribuentes, sed eo ipso minus recte precatos esse dicendum foret, etiam si verum Deum inuocassent. Indulgebant gentiles adhuc alii errori, ut nempe essent multiloqui in suis precibus, et eadem saepius repeterent, putantes illa sua loquacitate se faciliter exaudiri, et frequenti repetitione fatigari Deos, ut vel inuiti precibus annuant. Christus, Seruator noster benignissimus, cupiens præmunire suos aduersus vitia et errores, quibus sanctissimum precandi officium contaminaretur, eosque eruditurus quid et quomodo orandum sit, tradidit conceptis verbis orandi formulam perfectissimam, quam ab auctore, quem Dominum nostrum veneramus, orationem dominicam appellamus. Ea tanto semper in honore fuit inter Christianos, ut nullum precandi officium absque ea recte obiri posse existimarent, ideoque inter publicas et priuatas preces principem ei locum darent. Celebrantes hodie memoriam effusionis Spiritus Sancti, qui est Spiritus gratiae et orationis, de themate congruo verba ad vos facturi videmur, si disciplinam ecclesiae circa usum orationis dominicae, certe quoad capita potiora

ra proponamus. Si forte nihil noui de hoc argumen-
to dici possit, erunt etiam ea, quae iam ab aliis
obseruata sunt, scitu et consideratu dignissima.

Oratio dominica in vetere ecclesia dicebatur et
erat *oratio fidelium*, his enim demum per modum
praerogatiuae eius recitatio permittebatur. Obtine-
bat tunc diuisio personarum, quod Christiani essent
vel Cathechumeni vel Fideles. Illi erant, qui in ele-
mentis religionis christianaee erudiebantur, et quasi
imperfeeti erant christiani. Hi omnium mysterio-
rum et sacerorum erant participes. Disterminabantur
baptismo, qui erat sacramentum intrantium. Qui
adhuc haerebant in catechumenatu, ut aliorum my-
steriorum, ita etiam orationis dominicae notitiam
non conseqebantur, donec baptismo essent proximi.
Iuxta ALBASPIN. lib. I. Obs. 19. tribus modo aut
quatuor diebus, antequam baptismo purgarentur
Competentes, verba Orationis Dominicae, non ex-
plicationem aut mysteria docebantur, et ut memo-
riae mandarent, eam tantum accipiebant, non vero
ut Deum, antequam filii lucis essent, hac oratione
interpellarent. Rationem huius disciplinae reddit
CHRYSOSTOMVS Homil. LXII. tom. V. Nos Deum
non prius patrem possimus appellare, quam in sacra-
rum aquarum lauacro peccata abstinerimus. Quan-
do igitur mala illa deposita sarcina inde adscendimus,
tum dicimus: Pater noster qui es in coelis. Sic itaque
apud veteres usus orationis Dominicae erat priuilegi-
um honorificum.

Christianorum est saepius ad Deum orare, et certe nullo die hoc officium praetermittere. Volebant veteres in quotidianis precibus orationem Dominicam in primis quoque usurpari, et hinc dicta est *Oratio quotidiana*. Inter plura testimonia, quibus hoc confirmari posset, memorabilis in primis est can. 9. Concil. TOLETAN. IV. Ao. 633. celebrati, in quo dicitur: *Nonnulli sacerdotum per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Saluator noster docuit et praecepit, non quotidie, sed tantum die Dominica dicunt.* Et quia ut sine intermissione oremus Apostolus docuit, qualiter autem oremus Christus praecepit, dicens: *Cum oratis, dicite Pater noster qui es in coelis; quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici iubetur?* Nam in tantum quotidie haec oratio dicenda est, quantum et ipso titulo vtitur, dum vocatur oratio quotidiana. Sic eam sancti patres nuncupauerunt, quod etiam apud Doctores, quorum doctrina illustris est, inuenitur. Subiiciunt testimonia CYPRIANI, HILARII et AVGVSTINI, tandemque decernunt depositionis poenam in sacerdotes vel clericos, orationem Dominicam quotidie aut in publico aut in priuato officio praetereuntes. Unicus hic canon plura simul comprehendit testimonia pro doctrina veterum, orationem dominicam quotidie dicendam esse, et tanquam consuetum ei tribuit titulum, quod vocetur oratio quotidiana, vnde non opus erit id pluribus probare. Iam integro seculo ante in Concil. GERUNDENSI Ao. 517, can. 10. sanctum legimus: *Item nobis semper placuit obseruari, ut omnibus die-*

*dicibus, post matutinas et vespertas oratio Dominica a sa-
cerdote proferatur. Ex iteratis his praceptionibus
elucet quaedam pertinacia animorum, non dicendi
quotidie orationem dominicam, sed causam eius non
exponunt canonum interpretes, et forte indicatu est
difficilis.*

*Vt Christiani in precibus fundendis orationem
dominicam sibi in primis haberent commendatam,
satis argumenti esse poterat, quod est regula precum,
et formula ab ipso Seruatore tradita, qua Deum de-
centissime inuocamus, et ab his eius proprietatibus,
pro suadendo eius vnu, argumenta desumserunt do-
ctores ecclesiae antiquissimi. Sic TERTULLIANVS
de orat. c. 9. Ab ipso ordinata est religio orationis, et
de spiritu ipsius iam tunc, cum ex ore diuino ferre-
tur, animata suo priuilegio adscendit in coelum,
commendans patri quae filius docuit. Sic quoque
egregie CYPRIANVS de Orat. Domin. Quae potest
esse magis spiritualis oratio, quam quae a Christo no-
bis data est, a quo nobis et spiritus sanctus missus
est. Quae vera magis apud patrem precatio, quam
quae a filio, qui est veritas, de eius ore prolata est ?
vt aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit,
sed et culpa, quando ipse posuerit et dixerit: reuictis
mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis.
Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut magister
Deus docuit. Amica et familiaris oratio est, Deum de
suo rogare, ad aures eius adscendere Christi oratione.
Agnoscat pater filii sui verba. Cum precem facimus,
qui*

VIII

qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce. Et cum ipsum habeamus apud patrem aduocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petitus, aduocati nostri verba promamus. Nam cum dicat: quia quodcumque petierimus a patre in nomine eius, dabit nobis; quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Haec omnia eo tendunt, ut precantes sibi commendatissimam habeant orationem Dominicam, quia non alia Deo acceptior esse possit oratio, quam quae Christi verbis concepta est.

Specialiorem utilitatem quotidiani usus orationis Dominicae commemoravit Augustinus, docendo, eam delere peccata leuia et quotidiana. Res haec illustranda ex disciplina ecclesiae circa poenitentiam publicam. Primitui Christiani id sibi agendum putabant, ut ecclesiae omnes essent societas sanctorum, ideoque a communione et consortio fidelium excludebant, qui peccatum commiserant, quod a Christiano non erat committendum. Semel electi non recipiebantur, nisi post varias et diutinas humiliationes et molestias exantratas, id quod dicebant poenitentiam agere, et per eam satisfiebat ecclesiae, peccataque poenitentibus dimittebantur. Intolerabile fuisset omnia peccata coercere velle vindicta publica, hinc distinguebant inter peccata grauia et leuia. Illa peccatorem obnoxium reddebat poenitentiae publicae, haec ab ea immunia erant. De his, quae etiam peccata venialia dicebantur, ita docet AVGVSTINVS in
enchi-

enchoridio. cap. 71. quem locum etiam citat GRATIANVS de Poenit. D. 3. c. 20. De quotidianis, breviis, leuibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere: Pater noster qui es in coelis, qui iam taliter patri regenerati sunt ex aqua et Spiritu Sancto. Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium, scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit, si, quemadmodum veraciter dicitur: Dimitte nobis debita nostra, quoniam non defuncti quae dimittantur; ita veraciter dicatur: Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, id est, si fiat quod dicitur. Tribus in vniuersum modis peccata in ecclesia dimitti stetuebat Augustinus, in baptisme, in oratione, in humilitate maioris poenitentiae. Ex his duo modi peragebantur ministerio ecclesiae, unus absque eo. Absque ministerio ecclesiae dimittebantur peccata leuitia et quotidianae incursionis, quibus ob fragilitatem humanam optimus quisque obnoxius est; item peccata quaedam peioris notae, a quibus tamen per resipiscientiam mox discedebant, ob haec enim non subiiciebantur disciplinae publicae, sed ea relinquebantur cuiusque conscientiae, quotidiana oratione, siue priuata poenitentia et emendatione curanda, iudeoque quotidianam fidelium orationem ea delere affirmat Augustinus, quia ecclesiae disciplina pro talibus nullam exigebat satisfactionem. Peccata graui et atrocia, quae etiam crimina dicebantur, dimittebantur ministerio ecclesiae. Et quidem illis, qui in-

X

numerum fidelium nondum recepti erant, remittebantur omnia crimina per baptismum; cuius absolu^{tio} tanta erat, vt etiam ciuiliter quodammodo nouos faceret homines, quorum facta omnia antecedentia quasi deleta essent et exstincta. Hinc lepida quondam inter Graecos et Romanos orta est controuersia. Erat regula ecclesiastica, bigamos non esse in clerum cooptandos. Oriebatur quaestio, num pro bigamo habendus esset, qui ante baptismum habuerat vxorem, et post baptismum alteram duxerat? Graeci censemabant, non computandam esse vxorem, quam quis antea habuerat, quia baptismus nouos faciat homines. Romani regerebant, in baptismo crimina dimitti, non vxorum du^{ct}arum numerum aboleri. Vid. can. 3. D. 36. Haec ideo adduximus, vt quantum absolutionem veteres baptismo attribuerint, luculentius appareret. Quicunque vero fidelis in crimen inciderat, post electionem poenitentiae cursum emetiri cogebatur, et tunc consequebatur absolutionem, quae quoad ecclesiam erat iudicialis, quoad Deum ministerialis, nam absolutam peccata remittendi potestatem soli Deo tribuebant. Haec paucis exponenda videbantur, vt clarior redderetur sententia Augustini, afferentis, orationem Dominicam delere peccata leuia et quotidiana, et de illis satisfacere.

Petitionem quintam orationis Dominicae, quam tanto in pretio habebat Augustinus, & cui tribuebat efficaciam delendi peccata, *non omnibus necessariam esse* statuebant Pelagiani, in grauissimis quibusdam capi-

capitibus a veritatis tramite aberrantes. Contendebant quippe *Pelagiani*, posse hominem in hac vita, praeceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiae, sine adiutorio gratiae Saluatoris, per solum liberae voluntatis arbitrij peruenire, ut etiam non sit necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, adeoque orationem Dominicam pronunciabant formulam orandi, non omnium visib[us] aut necessitatibus accommodatam, eamque alieno sensu interpretabantur. Grauter hunc errorem redarguebant episcopi Africani in concilio **MILEVITANO**, Ao. 416. habito, in can. 7. fancientes: *Placuit, ut quicunque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere uniusque in sanctorum: Dimitte mihi debita mea, sed, dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit.* In can. 8. pergunt: *Item placuit, ut quicunque verba ipsa dominicae orationis, ubi dicimus: diritte nobis debita nostra, ita volunt a sanctis dici, ut humilietur, non veraciter hoc dicatur, anathema sit.* Firmant vtrumque canonem adiectionis rationibus, quas breuitatis cauſa omitimus. Fuerunt quoque, qui in recitatione orationis dominicae petitionem quintam non integrum enunciarent, propter conditionem quam adiectionem habet: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Hos obiurgavit **CHRYSOSTOMVS Homil. XXII. tom. I.** *Nec cautelam putes, si non totam orationem proferas, ne-*

XII

que dimidiatam precationem facias, sed prout instituit, ita precare, vt necessitas dictio[n]is quotidie exterr[er]ens, compellat te ad proximo veniam condonandam. Enim impium hominum versutiam, Deo supplicantium verbis Christi Seruatoris, et simul verba, quibus Christus orare docuit, truncantium, vt implacabilitati erga proximum, quam oratio damnat, indulgere liceret! Sed progrediendum ad alia, quae pertinent ad publicam ecclesiae disciplinam.

In celebratione Eucharistiae, et ipsa consecratio ne symbolorum eucharisticorum in primis quoque usurpata est oratio dominica. Num id statim a primordio christianismi factum sit, non adeo liquet. S. V. PFAFFIVS in *dissert. de Consecrat.* Veterum eucharistica §. 2. miratur, in antiquissima, quam Constitutiones Apostolicae habent liturgia, orationem Dominicam non extare, nec esse inter patres antiquissimos primorum seculorum, qui eam in celebratione eucharistiae adhibitam fuisse dicat. Nihilominus aliqui perhibuerunt, ipsos Apostolos consecrasse ad orationem dominicam, et quidem solam. Memorabilia hanc in rem sunt verba GREGORII M. lib. VII. Epif. 64. *Orationem vero dominicam mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo Orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconueniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam orationem, quam redemptor noster composuit, super eius corpus et sanguinem*

nem taceremus. Haud probabile videtur **PF AFFIO** h. c. apostolos oratione dominica consecrasse, quia nihil in ea exstat, quod ad benedictionem symbolorum eucharisticorum perficiendam speget, et verba Gregorii explicanda censet ex doctrina veterum, per panem quotidianum in petitione quarta panem sacramentalem intelligentium, quo ipso, si recte mentem eius capimus, docere vult, Gregorium tantum affirmare, orationem dominicam ab Apostolis in celebratione eucharistiae adhiberi solitam. Addit, cum Gregorius dicit, orationem dominicam post precem recitandam, eum non innuere, eandem in celebratione eucharistiae suo tempore omissam fuisse, sed saltem ostendere, genuino loco eam esse ponendam. Dissentit **Theod. Christ. LILIENTHAL** in schediis. **Hist. Theol.** de canone missae Gregoriano §. 7. ubi sic pronunciat, incertum quidem esse, an veteres in eucharistiae consecratione orationem usurpauerint dominicam, attamen affirmatiuam probabiliorem videri sententiam. Gregorii vero tempore non amplius in vsu fuisse, vnde eandem restituerit, hancque suam contra dissentientes defendere additionem. Hanc suam sententiam ex ipsis Gregorii M. verbis patere censet. Quicquid vero huius sit, tum ex adductis, tum ex aliis testimoniis indubitatum est, antiquissimum esse usum orationis dominicae in eucharistiae celebratione.

Denique disciplina ecclesiae orationem dominicam et symbolum ab omnibus voluit memoriae man-
b 3 dari,

XIV.

dari, tanquam compendia quaedam eorum, quae Christianis scitu maxime sunt necessaria. Adscribuntur Concilio CONSTANTINOPOL. III. canones quidam, in quorum VII. ita statutum legimus. Commonendi sunt fideles omnes, a minimo usque ad maximum, ut orationem dominicam et symbolum dicant: et dicendum est eis, quod his duabus sententiis omne fidei christiana fundamentum incubit. Et nisi quis has duas sententias et memoriter tenuerit, et ex toro corde crediderit, et in oratione saepissime frequentauerit, catholicus esse non poterit. . . . Dicendum est illis, ut singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet et vespere, dicens symbolum sive orationem dominicam. Publicati sunt hi canones e codice monasterii S. BAVONIS urbis Gandauensis, et videntur disciplinam occidentis exprimere, sed de aetate et auctoribus nihil certi constat. Similem in modum decretum est Ao. 813. in Conc. MOGVNTINO, can. 45. Symbolum, quod est signaculum fidei, et orationem dominicam discere, semper admoneant sacerdotes populum christianum. Voluntusque ut disciplinam condignam habeant, qui haec discere negligunt, sive in ieiunio, sive in alia castigatione erudiantur. . . . Et qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc dicat. REGINO PRVMIENS. de Discipl. Eccl. lib. I. cap. 272, adducit canonem ex concilio Rhemensi quo fancitur, ut omnis presbyter omnibus parochianis suis symbolum et orationem dominicam aut ipse insinuet, aut insinuandam alias iniungat, et cum ad confessionem tempore qua-

dragesimali venerint, haec ab unoquoque memoriter sibi decantari faciat, nec ante sanctam communionem alicui tradat, nisi haec ex corde pronunciare noverit, quia sine horum scientia nemo saluus esse poterit. Iubetur porro, ut nullus de stoliditate sensus, vel tenuitate ingenii causetur, quia haec tam parva sunt, ut nemo tam hebes et barbarus sit, qui hoc discere, et verbis communibus pronunciare non possit: tam magna, ut nemo horum scientiam pleniter capere possit. Nemini quoque permittitur infans suscipere in baptismo a sacro fonte, antequam symbolum et orationem dominicam coram presbytero decantet.

Fuerunt porro, qui orationem dominicam quotidie certo numero recitandam esse iuberent; fuerunt etiam, qui ad certa negotia certum numerum requirerent. Huc pertinet quod in concilio Celychitenſi, Ao. 816. in Anglia celebrato statuitur, ut in exsequiis episcopi *septem beltidum Pater noster pro eo cantetur.* SPELMANNVS in gloſſār. voce Beltiſ id explicat de Rosario, quo precantes vñ ſint, sed MABILLON in praefat. ad Acta SS. ſaeculi V. Benedict. no. 125. belti dem vſurpari dicit pro certo numero precum, et ſic quoque B. SCHMIDIVS in Lex. Eccl. non aliud mandari putat, quam septem vicibus Pater noster orandum. Rosarium conſtat orationibus dominicis XV, et ſalutationibus B. virginis CL, ſed haec copiosius non prosequemur. Omittimus etiam alia, quae circa vſum orationis dominicae in officio diuino et horis canoniciſ obſeruantur, ſunt enim talia, quae lectoribus nostris parum momenti habere videri poſſent. Do-

XVI

Docuit nos Christus, Seruator noster, orare: Pater noster qui es in coelis; sed non satis est pronunciare verba, verum Spiritus Sanctus est, per quem clamamus Abba pater, isque subleuat infirmitates nostras. Si itaque opus est, ut preces Deo acceptas in nobis operetur Spiritus Sanctus, preces autem sunt medium praecipuum bona a Deo consequendi, haud leuiter sane curandum erit, ut Spiritum Sanctum habeamus cordibus nostris inhabitantem. Venit autem ille ad nos per verbum et sacramenta, siquidem, ut in expositione articuli tertii symboli apostolici confitemur, per euangelium nos vocat, suis donis illuminat, in recta fide sanctificat et conseruat. Cogitemus memorabile illud exemplum *Aet. X, 44.* adhuc loquente Petro, illapsum esse Spiritum Sanctum in omnes, qui audiebant sermonem eius, ideoque his diebus festis legamus, meditemur, audiamus oracula diuina, ut per ea nostris quoque mentibus Spiritus Sanctus illabatur. Fugiamus contra omnem improbitatem et malitiam, sapientia enim non ingreditur in malitiosam animam, neque habitat in corpore quod subiectum est peccato. P.P. in
Acad. Iulia Carolina, Feria I, Pentecostes

M D C C L I.



153883
X 2286633 ✓

ULB Halle
007 138 997

3



ND 18

R



DISCIPLINA ECCLESIAE CIRCA ORATIONEM DOMINICAM

PROGRAMMATE
FESTO PENTECOSTES
MDCCCLI
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
TYPIS SCHNORRIANIS